LÆTA OMINA

VIRO NOBILISSIMO,

AMPLISS. JURIS CONSULTISS.

DOMINO

THEOPHILO DANIELI Bärholtz/

CIVIT. THORUN. SENIORI

CONSULI, ÆRARII PUBL. PRÆFECTO PRIMAR. ET SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO, UT ET JUDICII TERRESTRIS NOBILITATIS CULMENSIS ELECTO ASSESSORI,

DIEM ONOMASTICUM

d. 3. NOV. AN. M. DCC. XXVI.

FELICITER CELEBRANTI

IN FORMA PANEGYRICI

GRATULABUNDI OFFERUNT, AC SUBMITTUNT

GYMN. THORUN. CIVES.

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typograph.

ERgo Helicon iterum longæ post tædia noctis
Lætior evigilat, fugit omnis inertia somni.
Quamvis durat adhuc mentesque obnubilat aer
Crassior, & Morpheus varias imitantia formas
Somnia dispensat, simulacrave ludicra fingit.
Attamen evigilat, sublato vertice cernit,
Auroram pridem croceum liquisse cubile
Tithoni, ac toto radios dispergere cœlo.
Conscius ore pudor manat, moerentque sorores
Thespiades tantum blando indulsisse sopori.
Ergo alacres se proripiunt: hæc stragula picta
Ordinat, illa oculos fluvialibus abluit undis.
Ast aliæ ambrosios nectunt de more capillos,
Myrrhaque inficiunt: spirant opobalsama odorem,
Qua se illæ vertunt: aliæ sub tegmine fulgent
Coccineo, & viridi duplicatur forma smaragdo.
Interea, dum se exornant, æternaque magnis
Thura adolent superis, ut fata immania flectant,
Ut pacem exorent, ac diæ Pacis alumna
Copia inexhausto mittat sua munera cornu:
Fama volat cœlo medio, sonitumque repente
Dat clangore tubæ. pictæ tacuere volucres,
Et fremitum posuere feræ, sine murmure fluxit
Vistula, nec Zephyri svetos movere susurros.
Mirantur quid Fama ferat, num bella minetur,
Principis aut obitum magnæque excidia gentis,
Aut pestem, aut alias divorum nunciet iras.
Illa prope adsistens: Divæ, quare otia vobis
Sunt adeo cordi? cur moesta silentia servant
Natæ Mnemosynes? non carmine personat æther,
Non silvæ voces referunt vallesque reductæ.
Olim dulce fuit victuras condere chartas,
Cantare heroas exactaque secula mundi.
Olim grande sonans potuit raptare cothurnus

Attonitas

Attonitas mentes, regesque animosa referre
Melpomene, & socco risus miscere Thalia.
Vestam aliæ dixere, & magnæ jura Parentis:
Unde horis statis exæstuet Amphitrite;
Sidera quid moveat; lumen cur sæpius orbi
In solitum veniat, qua Parrhasis ursa refulget;
Cur turbet pelagum nautis infestus Orion;
Mobile circumeat terras Hyperionis astrum,
An vero immotum sedeat regnetque quietum;
Saturnus quotnam famulos numeretue benignus
Juppiter; ut Phœbi discum Cyllenius ales
Jussa recepturus subeat rutilansque Dione.
Tum quæ norma boni, vel qui sit limes honesti,
Quæ mentis medicina foret, quæ linea recti,
Quam superare nefas, temere confundere passim
Vitam omnem evertit, vitiisque immittit habenas.
Hæc canere, his animi nervos intendere, pulcrum
Nempe fuit famamque dedit. nunc ordine verso
Conticuit Pimplea, artesque exosa Minervæ
Barbiton abiecit. clamabunt sidera, vocem
Attollent maria. attollet Marpesia cautes.
Quin agite Aonides, ad gaudia sveta redite:
Gaudia festa dies, aura meliore renascens,
PHILOTHEO sacrata dabit: date vota secunda
PHILOTHEO: hoc pietas iubet, hoc edicit Apollo.
Non tulit has voces Clio, sed protinus infit:
Fama quid insultas, Musisque silentia longa
Obiicis, & sacros aditus tua buccina turbat?
Tu regum turres adeas & mœnia comple,
Tu populi ignavi vacuas allabere ad aures:
Dic quid agat tellus septem subiecta Trioni,
Persida quid vexet, quæ classes Baltica stagna
Sollicitent tonsis, vel quid formidet Iberus,
Sperent Francigenæ, quare Trinacria luctu

 Squaleat

Squaleat, infando casu perculsa Panormi.
Facta infecta refer, visa & non visa recense.
At nos fata premunt misera, intercludere vocem
Quæ valeant, lætosque negent diffundere vultus.
Nos sævo ereptum deflemus funere DAPHNIN
DAPHNIN *cujus amor nobis nullo excidet ævo,*
Cujus honos nullo non perpetuabitur ævo.
Non unus dolor est, pulsum deflemus ALEXIN,
Sedibus extorrem patriis, qua grande Gedanum
Surgit, & humectant agros vada salsa Trionum.
Hic decus omne fuit nobis & gloria genti
Pieriæ, hic coluit colles umbrosaque Tempe,
Quo se cunque tulit, cœlesti rore madebat
Pingvis ager, lætæ fruges, & pondere rami
Pomorum incurvi. Quem postquam fata tulere,
Non molles violæ spirant, amarantus odorem
Exuit, & spinis surgit paliurus acutis.
Quid mirum, si vasta jacet Parnassia rupes:
Scrupea tota via est, Cyprios saliunca molesta
Interemit flores, imis radicibus herba
Uritur, humor abest, ac deficit Hippocrene.
Sic illa, hæc iterum regerit Titania virgo:
Daphnis vester amor fuerat, dileximus & nos
Daphnin, pro meritis Daphnin tollemus ad astra.
At postquam excelsum limen miratur Olympi,
Despicit & terras humiles, ac sidera pulsat,
Nunc alius DAPHNIS, alius consurget ALEXIS
PHILOTHEUS sit vester amor, pro flore amaranti
Pæstanisque rosis albescet svave ligustrum.
Quidni jam cedant lacrumæ, post syrmata plectrum
Grande sonet, laudesque inter funalia surgant?
Ille etiam doctas gustavit Hyantidos undas,
Induit ille animo secli melioris amorem:
Non sibi, verum aliis depromtam pectore ab imo

Virtu-

Virtutem exercet, patriæque effundit in usus:
Nobilibus factis urbi prodesse jacenti,
Communique bono se impendere gloria summa est:
Quid dicam, quam temperiem pia lumina servent:
Non suffusæ etenim cernuntur sangvine venæ,
Non tetra horrescit facies, vel lividus usque
Pallor in ore sedet tempestatemque minatur.
Plebeiæ hoc agitant animæ, quæ verbera poscunt,
Quamprimum exardent stimulis, et felle redundant
Viscera, suppliciis sibimet solatia quærunt.
At sapiens tranquillus agit, quod magna potestas
Sæpe negat, viresque exhaurit multa minando.
Huic, quando tendit sensim ad fastigia rerum,
Frons antiqua manet, gravitate modestia semper
Permista elucet, similem se præstat ubique
Summis & mediis, nec fines transilit usquam.
Quid mirum, hoc viso attonitum si mobile vulgus
Compescit voces, arrectisque auribus adstat?
Semper ei adsistit victrix opulentia lingvæ,
Canicies animi præbet sua pondera dictis.
Si quos summa viri vis ac reverentia fregit,
Hos blando affatu recreat relevatque cadentes.
Fulmina non etenim mittit, sed mellea ab ore
Verba fluunt, svavi veluti testudine cantus
Edidit, ac silvas cum cautibus impulit Orpheus.
Videre hoc PATRES, *pretiumque dedere labori;*
Si tamen est pretium, majora imponere collo
Pondera, & in vacuas exhausta æraria censu
Ferre manus, lapsisque Urbis succurrere rebus.
Videre hoc EQVITES, *terræ Culmensis aviti*
Indigenæ, ac nuper secum sellæ esse curulis
Magni & Judicii socium jussere fidelem.
Scilicet hoc virtus agitat, sibi sufficit illa
Sola quidem; fasces, statuas, & grande tropæum

Erigit

Erigit ipſa ſibi; ſortis ſecura futuræ
Jugiter a ſupera temnit tranquillior arce,
Quod ſtupet indoctum vulgus, precioque peteſſit,
Monſtrari digito, & vano clareſcere plauſu.
Virtutem tamen ambit honos, veſtigat, & amplis
Sarmatiæ invitat PROCERUM ſuccedere tectis.
Quid moror? Elbingám tendo, atque effabor amicis,
Quod ſtadium ingreſſus, quo ſit ſublatus honore
PHILOTHEUS, quid ſperet adhuc, quid Numina tendãt
Addere virtuti. Lingvis animisque favete
Pierides, date dulce melos, date carmina digna
MÆCENATE pio, magno ſint CONSULE digna.
Audiit hæc Helicon, tanta virtute SCHOLARCHÆ
Lætior, ad doctos fontes abiere Camœnæ.
Illos luteolis ornarat Flora liguſtris,
Idaliisque roſis, & ſuave micanti hyacintho.
Spirabant dulci violæ ferrugine pictæ;
Quicquid odoratus longe blanditur Hydaſpes,
Quicquid thuriferis Arabum progerminat horti.
Hoc omnis turgebat humus, quia nectare pennas
Imbuerat Zephyrus, vallesque hoc rore madebant.
Nec Floram auctumnus, vel triſtis bruma moratur;
Hoc Natura parens Muſis gratatur honore.
Hinc Clio redimita comas, qua ſæpe magiſtra
Abdita PHILOTHEUS ſeclorum evolverat acta,
Ludentes graviter ſic eſt affata ſorores:
Ecce dies optatus adeſt, quo viſere noſtri
Limina PATRONI liceat, vocesque canoras
Edere, jam faſces lubeat legesque ſubire.
Sed turpe eſt manibus vacuis & munere caſſis
Ferre gradum: ut noſtris non aurum evolvitur antris,
Nec gemmas Permeſſis alit baccasque Erythræas,
Non adeo pauper fuerit Parnaſſia rupes,
Inque vicem doni ſuccedent candida vota.

Tu Plutum exora, verbisque impelle Thalia
Svavibus, adducat secum tellure reclusa
Thesaurum, profundat opes, illstret amicas
Vasibus auratis ædes, surgantque columnæ
Marmore Amyclæo, niteant laquearia gemmis.
Publica si fuerint æraria plena metallo
Solari, augebit si vectigalia censu
Cynthia, florebit Pindus meliusque valebit,
Squalidus ingeniis habitusque & turpis egestas
Abscedet, largæque fluent Permessidos undæ.
Calliope atque Erato, vobis Epidauria *tellus*
Scilicet est nota, & pulcram novistis Hygeian.
Hæc per Taygetum frondosaque Mænala flores
Vitalesque herbas carpat; qua diditur amplus
Carpatus, Hercynii saltus, Hyblæaque Tempe,
Currat, radices atque auxiliaria morbis
Gramina conquirat, calathisque apportet in aureis.
Omnia PHILOTHEO *domino famulentur, ut ætas*
Semper sit viridis, rugas ut tarda senectus
Adspergat, seroque abrumpant fila sorores.
Cælestem URANIE *sphæram compinge, coruscet*
Phœbus ubi astrorum ductor, Phœbique Diana
Æmula, & inclusus famuletur spiritus astris.
Iura polus servet, duodeno signifer annum
Sidere percurrat; medium disterminet orbem
Libra pares horas faciens; Capricornus inertem
Designans hyemem longa cum nocte reducat.
His illæ dictis abeunt, & iussa facessunt.
Interea Clio carmen maiore cothurno
Pangit, ut hoc caneret vario modulamine vocis,
Organaque aptaret digitis Polyhymnia doctis,
Argutis distincta tubis; tum vecte trabali
Murmura molitur, svavi magna atria complet
Concentu; pulsata chelys & tibia acutum

Personat

Personat, & plectrum tractatur Arione dignum.
Reddite Pierides plausus, a vertice Pindi
Accipite exemplum, susceptaque solvite vota,
Optime MAECENAS, nostris sol addite terris,
Quo Themis & Pallas gaudent heroe togato!
Suscipe quos Helicon lætus TIBI præstat honores,
Et patere ut resonent Dircæo flumine tecta.
Astrorum veluti depressum pondere vasto
Alcides subit Atlantem, & rutilantia torquet
Sidera sustentatque humeris; hinc omnia cernit,
Hinc ortus obitusque videt, circumflua Thule
Oceano quid agat, Nabathæaque regna minentur:
Sic TIBI mens invicta malis stabilisque perennet
Vis animi, sive ancipites TIBI CURIA curas
Conduplicat, cruciantque urbana Ceraunia pectus;
Nomina seu solvenda sient, dubitetque exhaustus
FISCUS, qui liceat pressos onerare Quirites;
Sive Heliconiadas sit opus firmare labantes.
Usque Tuus maneas, adversaque fronte serena
Irride, majorque exi per jurgia famæ.
Annue præcelsa mundi Regnator ab arce:
Nubila dispelle, ac mites promittere soles
Incipe. fac NOSTRO Pyliis iteretur ut annis
Festa dies; Phœnix veluti consurgat Eous;
HEBE illi ambrosiam, roburque ministret HYGEIA;
COPIA ab æterno glomeret sua munera cornu;
Largiter HELIADES sudent electra sorores;
GLORIA de cedro statuat Libanitide molem.
Sic magnum TE Numen amet, defendat, & ornet;
Splendidius proavum ceris & marmore nomen
Fata parent; pateant semper TUA tecta Camœnis,
Quarum victuris nomen super æthera chartis
Scandet, & ignava ducet de morte triumphum.

(o)